Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

I. Maii. S. Andreas Zoerardvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

Visual Library

S. Andreas, Zoerardus priùs dictus, in Nitrienſi Monaſterio, à Philippo Abbate, habitu accepto, eremi ſolitudinem expetiit, in eaq; tribus diebus ab omni re, quæ mandi poſſet abſtinuit. Quadrageſimali verò tempore ab Abbate ſuo Philippo quadraginta nuces accepit, & eo exiſtens victu contentus, diẽ ſanctæ Reſurrectionis cum gaudio exſpectauit. Nocturnâ quiete tali eſt vſus: Planatum truncum quercinum ſepe circumdedit, & per ipſam ſepem arundines acutas ex omni parte infixit; ipſe verò in trunco ſedens tali ſeſſorio vſus eſt artuum recreatione, vt ſi fortè corpus ſopore grauatum qualemcunq; in partem ſe flecteret, arundinum acie ſauciatum euigilaret. Inſuper & ex ligno coronam factam capiti ſuo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides ſuſpendebat, vt ſi caput ſopitum quocunque inclinaret, lapide percuteretur.

S. Benedictus verò eius diſcipulus per tres annos exemplo defuncti magiſtri diſtrictè vitam agens, à latronibus pecuniam ſe reperturos, ſperantibus iugulatus, & in flumen demerſus eſt. Eius corpus ab aquilâ cuſtoditum, poſt annum integrum repertum, conditum eſt in Baſilicâ S. Emerami, in eodem ſepulchro, in quo aſſeruabantur oſſa B. Andreæ eius ſancti patris. Claruerunt circa A. C. M. X X. *Ex vita ap. Sur.*

S. AN-

SS. ANDREAS. ZOERARDVS. ET. BENEDICTVS. M. ORD S. BEN.
Præduram duxit uitam ZOERARDVS *in antro.*
Sed latro inſontem te BENEDICTE *necat*